

ditur in specie regiminis principatuum cuius sunt diverse species ut dicit Philosophus in tercio politice¹³⁰, precipuum^{h)} tamen est regnum in quo unus principatur secundum virtutem et est principatus iste Arystocraticus id est potestas optimorum in qua aliqui pauci principantur secundum virtutem. Unde optima ordinatio regiminis est in aliqua civitate vel regno in quo unus preficitur secundum virtutem qui omnibus presit et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem. Talis enim principatus ad omnes pertinet, quia ex omnibus eligi possunt et ab omnibus eliguntur. Est enim ista polichya commixta ex regno in quantum unus principatur omnibus et ex Arystocratia idⁱ⁾ est potestate optimorum, de populo in quantum possunt ex popularibus eligi principes¹³¹.

¶ Regnum itaque est optimum regimen si non corrumpatur. Sed propter magnam potestatem que conceditur regi de facili degenerat regnum in tyrannidem nisi sit perfecta virtus eius cui talis potestas conceditur. Quia non est nisi virtuosus bene ferre bonas fortunas ut dicit Philosophus in secundo ethicorum¹³². Perfecta autem virtus in paucis invenitur, precipue autem avaricia et delectatio et superbia et superfluitas expensarum faciunt degenerare reges in tyrannos¹³³.

¶ Item divicie regni et civitatum ex eo maxime destruuntur quod possessiones perveniunt ad meliores^{k)} et ditiores ut dicit Philosophus in secundo politice¹³⁴.

¶ Item societas hominum maxime conservatur ad invicem per contractus commutationum, venditionum et emptionum ut alia pro aliis dentur ut dicit Philosophus in primo politice¹³⁵. ¶ Circa res possessas optima est ordinatio ut dicit Philosophus secundo politice¹³⁶ quod possessiones sint distincte et usus partim sit communis, partim per voluntatem possessorum communicetur quia per possessionum

h) Thomas: precipuae. i) in quantum vor id durchgestrichen. k) Thomas: mulieres.

130) Pol. III, 7 (1279a 33–37).

131) Sth I–II, 105, 1, corpus articuli (S. 262 f.).

132) Eth. Nic. IV, 8 (1124a 30). Et quia magna est dignitas et potestas regis, ideo inveniuntur pauci boni et veri reges, quia, sicut dicit Philosophus in quinto Ethicorum, non est nisi perfectorum bonas fortunas bene ferre. ERP I, c. 11 (S. 29).

133) Sth I–II, 105, 1, ad. sec. arg. (S. 263).

134) Pol. II, 9 (1270a 23–30); Sth I–II, 105, 2, arg. sec. (S. 264).

135) Vgl. Pol. I, 9 (1257a 22–36); Sth I–II, 105, 2, arg. tert. (S. 264).

136) Pol. II, 5 (1263a 26).